OFFICIUM S. THOMAE DE VILLANOVA


Ordinis Eremitarum S. Augustini.

ARCHIEPISCOPI VALENTIÆ

Semiduplex.

A Sac. Rit. Congr. recognitum, et approbatum.

Ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, tum Saecularibus, tum Regularibus ad libitum die 18. Septembris recitandum.



ROMAE, Ex Typographia R. Cameræ Apost. 1659.

Die xviij. *Septembris*.

IN FESTO S. THOMÆ DE VILLANOVA CONF. PONT.

Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. præter Antiphonas ad Magnificat, & Benedictus, Orationem, & Lectionem secundi Nocturni.

Antiph. in vtrisq. Vesperis. Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

Oratio.

DEus, qui beatum Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiæ virtute decorasti, quæsumus, vt cuius intercessione in omnes, qui te deprecantur, diuitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum &c.

Lectiones primi Nocturni de Script. occurr.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iiij.

THOMAS in Oppido Fontisplani Toletanæ Diœceseos in Hispania natus anno Domini millesimo quadringentesimo octo-

gesimo octauo ab optimis parentibus ineunte vita, pietatem, & singularem in pauperes misericordiã accepit; cuius adhuc puer complura dedit exempla, sed illud in primis nobile, quod vt nudos operiret, proprijs vestibus non semel se ipsum exuit. Exacta pueritia, Compluto, quo missus fuerat, vt litteris operam daret, patris obitu reuocatus, vniuersam hæreditatem egenis virginibus alendis dicauit, eodemque statim profectus est, vt curriculum sacræ Theologiæ conficeret: interim assiduis precibus scientiam Sanctorum, & rectam vitæ, morumque normam à Domino vehementissimè postulans: quare diuino instinctu Eremitarum S. Augustini amplexus est institutum.

Lectio V.

Religionem professus omnibus religiosi hominis virtutibus, & ornamentis excelluit: humilitate, patientia, continentia, sed ardentissima charitate summè conspicuus: inter varios, & assiduos labores orationi, rerumque diuinarum meditationi inuicto spiritu semper intentus. Prædicandi onus, vtpote sanctimonia, & doctrina præstans, subire iussus, cælesti aspirante gratia, innumerabiles è vitiorum cœno in viam salutis eduxit. Regendis deinde fratribus admotus, prudentiam, æquitatem, & mansuetudinem, pari sedulitate, ac seueritate coniunxit, adeò vt priscam sui Ordinis disciplinam multis in locis, vel firmauerit, vel restituerit.

Le-

Lectio vj.

GRanatensi Archiepiscopus designatus, mira humilitate, & constantia insigne munus reiecit. Verùm non multò post, Valentinam Ecclesiam, Superiorum auctoritate coactus, gubernãdam suscepit, quam annis ferme vndecim ita rexit, vt sanctissimi, & vigilantissimi Pastoris partes expleuerit. Cæterum consueta viuendi ratione nihil admodum immutata, inexplebili charitati multò magis indulsit, cum amplos Ecclesiæ reditus in egenos dispersit, ne lectulo quidem sibi relicto; nam eum, in quo decumbebat, cùm in cœlum euocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulò ante eleemosynæ loco donauerat. Obdormiuit in Domino sexto Idus Septembris, annos natus octo, & sexaginta. Serui sui sanctitatem adhuc viuentis, & exinde post mortem miraculis Deus testatam voluit, præsertim, cum horreum frumento pauperibus distributo penitus vacuum, repentè plenum inuentum est: & cum ad eius sepulcrum puer mortuus reuixit. Quibus, alijsque non paucis fulgentem signis, Alexander Septimus Pontifex Maximus Sanctorum numerum adscripsit, atque eius memoriam quarto decimo Kalendas Octobris celebrari mandauit.

IN III. NOCTVRNO.

Homil. in Euang.

Homo peregrè proficiscens.

Vt in Communi Confess. Pontif.

Antiph. ad Benedictus.

Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. *Eccl.* 31.

Missa

Missa de Communi Confess. Pontif.
Statuit ei Dominus.


Cum Oratione propria, &
Euangel. Homo peregrè proficiscens.

Visas, ac maturè perpensas Orationem, Lectiones, & Antiphonas supradictas Sacrorum Rituum Congregatio die 14. *Iunij* 1659. *approbauit; easque Sanctissimus in Breuiario, & Missali Romano inter Officio, & Missas ad libitum recitandas, & celebrandas imprimi mandauit; pariterque ad libitum ab omnibus vtriusque sexus* Christi *fidelibus, tum* Saecularibus, *tum* Regularibus *die decima octaua Septembris, festo S. Thomae de Villanoua, cum reliquis de communi* Confessoris *Pontificis, sub ritu semiduplici recitari, ac celebrari posse concessit. Die* 17. *eiusdem mensis Iunij, eodemque anno* 1659.

I. Episc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco ✠ sigilli.

Franciscus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secr.



Missa de Communi Confess. Pontif. Statuit ei Dominus. *Cum Oratione propria, & Euangel.* Homo peregrè proficiscens.

Visas, ac maturè perpensas Orationem, Lectiones, & Antiphonas supradictas Sacrorum Rituum Congregatio die 14. *Iunij* 1659. *approbauit; easque Sanctissimus in Breuiario, & Missali Romano inter Officio, & Missas ad libitum recitandas, & celebrandas imprimi mandauit; pariterque ad libitum ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tum Sæcularibus, tum Regularibus die decima octaua Septembris, festo S. Thomæ de Villanoua, cum reliquis de communi Confessoris Pontificis, sub ritu semiduplici recitari, ac celebrari posse concessit. Die* 17. *eiusdem mensis Iunij, eodemque anno* 1659.

I. Episc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Loco ✠ sigilli.

Franciscus Maria Phœbeus Sac. Rit. Congreg. Secr.

